

et invenitur formaliter in ipso ad, licet radicaliter id habeat ex eo quod divina est. Et hoc ideo quia in ratione subsistentiæ, et realitatis multiplicatur relationes in divinis, eo quod ad subsistentiam pertinet terminatio incommunicabilis, et incommunicabilitas per oppositionem habetur, et consequenter per distinctionem, et per ipsum ad ut ad. Et similiter realitas exercetur in ordine ad terminum, quia realiter respicitur, et attingitur ad differentiam relationis rationis, quæ realiter ad terminum non est; et sic realitas multiplicatur in divinis, licet quod realis sit illa relatio, habeat radicaliter ex eo quod divina est, sicut relationes creatæ realitatem habent ex fundamento, quasi ex radice. Itaque uno verbo, quidquid oppositionis est, et multiplicationis, etiamsi reale sit, pertinet ad ipsum ad sub conceptu ad, ut distinguitur ab in. Quidquid ad perfectionem, ad essentiam, ad divinitatem, ad esse pertinet in relationibus divinis, tenet se ex parte ipsius in, et non multiplicatur in relationibus, sed identice invenitur in illis; licet verum sit quod realitas, et subsistentia, et personalitas, quæ multiplicatur in ipso ad, et ad ejus formalem rationem spectat, formaliter quidem inveniatur in ipso conceptu ad, ut distincto, et explicito ab in, sed radicaliter oriatur ex ipso in: sicut in relationibus creatis oritur ex fundamento, sed in divinis esse relationis non pendet a fundamento, sed ab identificatione cum essentia divina; fundamentum autem solum requiritur ad exercitium relationis in respiciendo prout transit terminum.

XXXII. Et his explicio sententiam Cajetani in eo in quo subtilissime distinguitur a sententia Ferrariensis. Et dico quod relatio primo dividitur inadæquate in conceptum in, et in conceptum ad. Pro conceptu

in deserviunt quæcumque ad perfectionem, ad essentiam, divinitatem esse, et identificationem cum attributis pertinent, et quidquid non multiplicatur in relationibus, et lineam absolutorum involvit. Pro conceptu ad ut distincto, et explicito ab isto conceptu in (licet in illo radicato, et fundato) pertinent quæcumque multiplicatur in relationibus, et ex parte oppositionis se tenent, sicut est subsistentia, quæ ad incommunicabilitatem, et oppositionem realem in ratione termini substantialis spectat, sicut est realitas respicientiæ ad terminum, distinctio, oppositioque realis, etc. In hoc ergo conceptu ad sic distincto a conceptu in cum multa includantur, quæ oppositionem, distinctonemque patiuntur, non repugnat iterum dividere inadæquatos conceptus, et concipere ipsum ad ut exercet munus subsistentiæ, non quomodocumque, sed incommunicabiliter, et cum oppositione, et distinctione ab alio termino personali, et similiter concipere ipsum ad ut exercet munus respicientiæ secundum attingentiam termini correlativi, quæ est ipsa explicatissima ratio ad, seu relationis, ut relatio est quæ quidem realis est, et tamen in correlativo nihil realitatis ponit, sed pure respicit, in se tamen realis respicientia est. Cum ergo omnes istæ considerationes locum habeant in ad, ut ad, non repugnat considerare illud secundum unam, et non secundum aliam, scilicet considerare illud ut subsistens, et non ut respiciens, seu attingens terminum: nam ut subsistens etiam includit terminum, sed eo modo quo exigitur ad subsistendum incommunicabiliter, non eo modo exigitur ad pure respiciendum: ad subsistendum enim incommunicabiliter requiritur relatio, quæ quidem non sit accidens, et hoc habet

ex eo quod divina radicaliter, seu quia identificatur cum divino esse, et rursum quod in se habeat incommunicabilitatem cum ulteriori termino. Et hoc habet ex eo quod opposita est ad suum terminum correlativum: sed tamen ista oppositio et impossibilitas seu incommunicabilitas cum termino correlativo non solum invenitur in ipsa explanatione respectus, et attingentiæ ad terminum, sed etiam in ipsa realitate, et entitate ipsius ad, ut entitas, et realitas est in se et ut, ex parte subjecti se tenet, invenitur impossibilitas cum tali termino. Unde etiam antequam exerceatur, et consideretur ipsa attingentia respicientiæ erga terminum suum, jam ipsum ad entitative, et quoad realitatem consideratum impossibile, et incommunicabile est suo termino. Et sic involvit terminum in ipsa incommunicabilitate entitatis, non ut exercite, et explicitate attingentiam per modum tendentiæ ad illum, sed ut entitati, et realitati ipsi relationis in ratione ad incommunicabilem; et sic redditur illa entitas subsistens ex vi talis conceptus, incommunicabilis termino ulteriori. Quare sicut relatio ex eo quod identificatur cum essentia trahit perfectionem rationemque subsistendi, ita ex eo quod ordinatur ad terminum, trahit impossibilitatem, distinctionemque ab ipso: ordinari autem nondum est respiciendo attingere terminum, sed respiciendo in se esse.

XXXIII. Quia ergo forma præbens plures effectus formales, non repugnat sub una consideratione, et formalitate præbere unum, sub qua non præbet alterum, et secundum priorem supponi ad seipsam sub posteriore, sicut anima prius actualiter materiam, et constituit corpus in ratione organici, deinde vivificat in ratione animæ; ideo etiam in re-

latione illa divina, cujus realitas non solum identice est substantia, et divina, sed etiam in formalitate ipsius ad est realis subsistentia distincta ab alia, licet esse subsistentiam habeat radicaliter ex eo quod divina, et quod sit distincta, et incommunicabilis alteri, ex eo quod opposita, et ordinata; inveniuntur hoc ipsum, quod prius intelligitur præbere effectum formalem subsistendi incommunicabiliter respectu aliarum subsistentiarum; deinde per modum tendentiæ attingere terminum: et hoc exercitium tendentiæ non est idem quod ipsum esse incommunicabiliter oppositum, et subsistentem in sua entitate, et realitate, quia aliud est habere se ad terminum tendendo, aliud impossibilitatem cum termino in sua realitate habendo. Et illud secundum dicitur relatio ut exercita, seu relatio ut relatio: primum vero est relatio, ut in sua entitate incommunicabilis, et subsistens opposito modo ad terminum. Ad hoc autem ut ista relatio exerceatur per modum tendentiæ ad terminum requiritur fundamentum, quod est ipsa generatio: ideo enim tendit ad terminum, ut ad Filium, quia generat ipsum. Et similiter ista tendentia est simul cum suo termino correlativo, qui est Filius ut genitus. At vero secundum primam considerationem non requirit fundamentum, quia relationes in divinis non habent suum esse, et suum subsistere ex fundamento, sed ex identificatione cum natura divina: sed tamen hæc subsistentia orta ex identificatione cum natura divina habet rationem incommunicabilitatis ex ipsa realitate ad, ut opposita et impossibilis cum suo termino: ubi etiam involvitur et includitur terminus, non ut attactus per modum tendentiæ, sed ut exclusus ab ipsa realitate ad, quia est illi incommunicabilis. Et hoc modo constituit

Personam Patris ut subsistentia paternitatis opposita excludendo a se terminum filiationis, non tangendo illum. Et hoc bene nota, quia hinc pendet tota explicatio dividendi hos conceptus in ipso ad, etiam ut condistincto ab in, quia conceptus in non excludit neque opponit suo correlativo, sed est quid commune relationibus, involvitque esse absolutum. Ipsum vero dicit subsistentiam oppositam, et incommunicabilem termino. Et hoc duplici formalitate. Prima, ut res in se excludens, et impossibilis termino; et sic est in se incommunicabilis, et opposita Filio, et paternitas subsistens; et sic constituit Personam Patris ad se, et in se. Secundo, ut tangit ipsum terminum respectu suo; et sic quasi egreditur a se, et tangit alterum. Et prout sic non constituit in se, sed exercetur extra se.

XXXIV. Ex quo manifeste constat non recidere hanc sententiam Cajetani in sententiam Ferrariensis, sed longe ab ea differre, quia illa relatio ut concepta, et signata non pertinet ad conceptum in relationis, quatenus conceptus in est conceptus absolutus, et communis, non multiplicabilis in relationibus: sed pertinet ad conceptum ad, non tamen sub omni formalitate ipsius ad, sed quatenus est realitas subsistens incommunicabiliter, quod pertinere dicitur ad conceptum ad, quia pertinet ad ea quæ multiplicantur in relationibus: nihil autem multiplicatur, nisi ex parte conceptus ad, seu ratione oppositionis: ipsum autem subsistens relativum multiplicatur etiam ut subsistens incommunicabile; et sic relatio ut subsistens ad ipsum ad pertinet.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXV. Ex dictis solutæ manent rationes dubitandi a principio propositæ.

Ad primam dicimus paternitatem esse relationem fundatam in generatione, quantum ad exercitium ipsius respectus per modum tendentiæ, et attingentiæ sui termini: sic enim supponit generationem, et est simul cum termino genito, tum natura, tum cognitione: at vero paternitas sub conceptu realitatis subsistentis incommunicabiliter non indiget fundamento, sed identificatione cum natura divina, a qua radicaliter habet quod sit subsistens formaliter: ipsa autem realitas relationis etiam secundum ipsam realitatem ad, reddit hoc subsistere paternitatis incommunicabile, et pertinet hoc ad conceptum relationis, ut relatio est, et ut ad ut explicatum est: et ibi nondum explicatur fundamentum, sed potius fundamentum consequitur, et oritur ex tali realitate relationis ut subsistentis, quia actus notionalis generationis ex ipsa Persona, ut subsistente consequitur; atque adeo ex ipsa relatione ut realiter incommunicabili.

XXXVI. Ad secundam rationem respondetur, quod relationes Patris, et Filii sunt simul cognitione, et natura secundum exercitium respiciendi, et attingendi terminum: sub ratione autem subsistendi, et realitatis ipsius ad ut incommunicabilis non sunt simul cognitione, quia non consideratur ibi terminus ut tactus per tendentiam, sed ut exclusus a realitate ipsius ad quatenus constituitur in se oppositus. Itaque semper involvitur aliquo modo terminus in conceptu ipsius ad, sed non semper eodem modo, quia aliquando correlative, aliquando ex-

clusive: correlative, quando intelligitur ut tendens, et tangens terminum quasi ipso respectu deosculans et tangens: exclusive, quando intelligitur ut realitas incommunicabilis, et in se subsistens, et in realitate oppositionis constituta in se. Et hoc modo non est simul cum termino similitudine quasi coexistentiæ, et attingentiæ, sed potius ut excludens illum, et impossibilis illi in sua constitutione, sicut homo etiam dum constituitur, excludit equum, licet non ut oppositus relative.

XXXVII. Quod si urgeas: Ad ut ad condistinctum ab in præcise dicit ipsum respicere, et tendere ad terminum, quia relatio solum se habet erga subjectum, et erga terminum. Erga subjectum se habet per in: ergo illo remoto nihil restat de ipso ad nisi respicere, et tendere ad terminum: ergo repugnat quod in ipso respicere distinguamus aliquid quod respicere non sit, sed subsistere, vel excludere terminum, respondetur distinguendo antecedens; conceptus ipsius ad ut ad, solum est respicere terminum, distinguo; cum oppositione, et incommunicabilitate ad illum, concedo; per solam rationem attingentiæ, et tendentiæ ad terminum, nego. Ex hoc autem quod oppositionem habeat, et exclusionem termini, redditur illa realitas ipsius ad incommunicabilis, et impossibilis suo termino. Unde si sit realitas subsistens, et intra conceptum ipsius ad multiplicans subsistentiam (licet subsistere radicaliter habeat ex eo quod divina) manifestum est, quod potest ipsa realitas conceptus ad, quod est respicere, concipi, non secundum exercitium istius respicientiæ in attingendo terminum, sed secundum realitatem illius in, excludendo terminum, et supponendo se illi, et subsistendo incommunicabiliter, et sic constituendo. Non removetur

autem ratio respectus, per hoc quod non attingere terminum ex parte termini, sed constitui in se, et ad se, cum exclusionem termini ad respiciendum terminative ipsum, intelligatur.

Ad tertiam rationem dubitandi respondetur, quod productio non prius terminatur ad Personam productam, quam relatam, si ly relata sumatur entitative, et in esse concepto, seu signato, quia entitas termini producti entitas relationis est, nec alias realitas producitur, quam realitas relationis. Si autem ly relata sumatur exercite, prout attingens suum correlativum sic prius intelligitur terminari productionem ad relationem ut productam, quam ut exercite respicientem, et tangentem suum principium. Et cum dicitur quod ad relationem non datur per se motus, dicitur quod ad relationem subsistentem per se datur motus, seu actus, et est notionalis processio: ad relationem autem non subsistentem, sed præcise consequentem ex fundamento non datur per se motus. Et præterea ad relationem sub exercitio respiciendi non datur per se motus, quia sic consequitur suum fundamentum, quod est generatio, bene tamen ad realitatem illam relationis ut conceptam, et in se, et ad se constituentem potest dari per se motus in relationibus divinis, quæ subsistunt.

XXXVIII. Secundo objicies: Impossibile est concipere formam aliquam constituere aliquid, et non tribuere illi suum effectum formalem, sed effectus formalis rationis est tendere ad aliud in exercitio: ergo impossibile est quod intelligatur relatio ut forma constituens Personam, etiam ut signata, sive per modum quidditatis, sive per modum subsistentis, et non intelligatur tribuere illi effectum il-

lum formalem respiciendi in exercitio. Minor probatur, quia relatio non habet pro effectu formali posse respicere quasi in actu primo, sed ipsum actu respicere, quia ejus definitio non traditur per posse respicere, sed per ipsum actuale respicere, id est, per hoc quod est aliud se habere, itaque exercitium relationis non est aliud quam ipsemet effectus formalis relationis, quo res ipsa constituitur exercite respiciens terminum: præscindendo autem ab isto exercitio, id quod remanet non est nisi absolutum: ergo frustra distinguit Cajetanus relationem ut conceptam, et ut exercitam, cum hoc nihil aliud sit, quam relatio, et effectus ejus formalis, quem non possumus præscindere ab ipsa forma ut constituyente Personam.

Confirmatur, quia relatio non habet quod sit subsistens, nisi in quantum divina, et identificata cum essentia, sed in quantum subsistens constituit Personam: ergo in quantum divina, seu identificata cum essentia constituit, et consequenter ratione perfectionis absolutæ sibi adjunctæ, et identificatæ non ratione relationis secundum quod forma relativa est, constituit.

Denique, non est ratio cur relatio ut exercita indigeat fundamento, et non ut concepta, quia in creatis utroque modo indiget fundamento, si quidem utroque modo habet eandem essentiam, et formam relationis: ergo illa distinctio Cajetani de relatione exercita, et ut concepta, nulla est.

Respondetur quod forma dat effectum formalem subjecto quod afficit, et constituit juxta modum ipsius subjecti, vel constituti, quia quando ex una forma proveniunt plures effectus formales, bene stat quod in aliquo signo, vel prioritate intelligatur afficere subjectum dando unum effectum, et nondum conside-

rando dare alium. Itaque forma existens in subjecto effectus suos formales præbet in re, sed non omnes pro omni prioritate, et intelligentia nostra, sicut gratia cum ponitur in subjecto omnes effectus suos formales præbet, sed pro aliqua prioritate intelligitur dare unum effectum, pro quo non dat alium, sicut pro aliquo priori intelligitur constituere subjectum gratum, pro quo non intelligitur remissum peccatum, vel etiam pro quo intelligitur justificare, et nondum intelligitur facere filium adoptivum, quia hoc pertinet ad suppositum. Et anima rationalis intelligitur pro aliquo priori informare corpus in ratione vegetativi, et non in ratione sensitivi, vel rationalis. Sic ergo relatio paternitatis secundum proprium, et formalem conceptum ipsius paternitatis, et ipsius ad in re totum suum effectum formalem dat, sed pro aliquo priori intelligentiæ nostræ prius intelligitur dare effectum formalem subsistendi incommunicabiliter, quam attingere suum terminum in exercitio, et per modum attingentiæ: licet in illo priori etiam attingat ipsum terminum excludendo illum a realitate ipsius ad, quæ, ut incommunicabilis, et opposita termino, constituitur, non autem exercite terminando in illum. Et hoc præcipue contingit in formis relativis, quia relatio non habet entitatem, et esse per terminum ad quem est, sed ad subjectum in quo est, vel in ordine ad se, si entitas subsistens sit. Non potest autem intelligi, quod prius tangat terminum illa entitas, quam in se sit, quia quando attingit, aliqua entitate attingit: ergo prius debet intelligi effectus ille formalis, ut ex parte subjecti se tenet, et ut subjectum afficit, vel ut in se subsistit, quam ut attingit terminum extra se. Hoc ipso autem quod illa entitas in se constituitur, et in se habet esse, de-

bet illam entitatem habere ut oppositam, et impossibilem termino, quia si talis entitas sic non esset, non posset respicere terminum correlative.

Et cum dicitur quod effectus formalis relationis non est referre subjectum in potentia, et in actu primo, respondeo in re ita esse, sed distinguui per nostros conceptus ipsam relationem ut comparatam subjecto, vel ut attingentem terminum, ut est ipsum respicere actuale tamquam quo, vel ut actu tenditur, et attingitur terminus exercite, et ut quod: sicut enim calor non calefacit exercite ut quod, sed ut quo, ita nec relatio respicit ut quod, sed ut quo. Et ut quo consideratur ut in se constituitur; ut quod ut exercetur. Utrouque autem modo est ipsum respicere actu, non in potentia. Et primo modo considerata relatio actualis ut quo, vel per ordinem ad subjectum, jam intelligitur constitui ut opposita, et incommunicabilis suo termino: et si entitas ipsius ad sit subsistens, redditur prout sic incommunicabilis in ipsa realitate subsistendi, et ut excludens terminum, licet non ut attingens, et consequenter ut sic, est constitutiva Personæ. Et quia iste effectus formalis ipsius ad non explicatur in attingentia ad terminum, sed in ipsa entitate relationis et ad, ut in se incommunicabilis, et opposita constituitur, dicitur iste effectus non esse ipsius relationis ut exercitæ, sed ut signatæ in sua entitate, et quidditate, et relationis ut quo, et secundum se. At vero secundo modo intelligitur ipsa relatio, et ipsum ad dare effectum formalem respiciendi in exercitio, et in actu secundo, ipsum terminum attingendo, et tendendo in illum, non solum constituendo ipsam entitatem ad, ut impossibilem, et oppositam termino in se, et constitutive, et ut quo.

XXXIX. Quod si instes: Nam prius est in ipso ad respicere terminum, quam reddere entitatem ipsam incommunicabilem, et oppositam: hoc enim sequitur ad ipsum respicere; et hoc exercitium respiciendi est actualissimum, quod in relatione invenitur: ergo per illud debet formalissime constitui Persona, quia constitutivum Personæ debet esse formalissimum, et actualissimum in relatione, respondetur negando antecedens, nam in ipsa respicientia, seu in ipso ad, et actuali respicere non solum invenitur attingentia termini, sed etiam ipsius entitatis ad oppositio, et incommunicabilitas, ut in se et prius est atque intimius id quod ex parte entitatis se tenet, quam id quod ex parte termini ad quem, quia terminus ad quem quasi ad extra se habet; et sic prius est constitui in ipsa entitate relativa secundum se, et ut oppositam termino, quam actualiter tangere ipsum terminum. Et sic per suam entitatem redditur subsistens incommunicabiliter, quod est constitui Personam et deinde attingitur terminus exercite, et ipse respectus consideratur ut tenens se ex parte termini, et non solum ut in sua entitate subsistens. Et cum dicitur quod actualissimum in relatione est ipsum attingere terminum in exercitio, distingo; est actualissimum terminative, et substitutive, et in ratione incommunicabilitatis, et oppositionis, ut constituitur in se, nego. Hoc autem conducit ad subsistentiam, et personalitatem in entitate relativa, et per hoc formaliter redditur constituta Persona: nec enim ad constituendum aliquid debet accipi quod actualissimum est in quacumque consideratione, sed quod actualissimum est in illa formalitate, et linea in qua conside-